Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

secundum legem moysi tulerunt illum in ierusalem · ut sisterent eum
domino sicut scriptum est in lege domini · quia omne masculinum
adaperiens vulvam sanctum domino vocabitur · et ut darent hosti
am secundum quod dictum est in lege domini · par turturum
aut duos pullos columbarum · Et ecce homo erat in ierusalem
cui nomen symeon · et homo iste iustus et timoratus expec
tans consolationem israhel · et spiritus sanctus erat in eo · Et
responsum acceperat a spiritu sancto · non visurum se mortem · nisi vide-
ret christum domini · Et venit in spiritu in templum · Et cum inducerent
puerum ihesum parentes eius · ut facerent secundum consuetudinem
legis pro eo · et ipse accepit eum in ulnas suas et bene-
dixit deum et dixit · Nunc dimittis servum tuum domine · secundum
verbum tuum in pace · quia viderunt oculi mei salutare tuum ·
quod parasti ante faciem omnium populorum · lumen ad revelationem
gentium et gloriam plebis tue israhel · Blasii episcopi et mar-
tiris : Omne gaudium existimate · Jacobi apostoli ·
fratres mei cum in temptationes varias incideritis · scien
tes quod probatio fidei vestre · pacienciam operatur · paciencia
opus perfectum operatur · ut sitis perfecti et integri · in nullo de
ficientes · Si quis autem vestrum indiget sapientia · Postulet a
deo qui dat omnibus affluenter et non improperat et dabitur
ei · Postulet autem in fide nichil hesitans · Qui autem hesi
tat similis est fluctui maris qui vento movetur et circum
fertur · Non ergo hesitet homo ille quod accipiat aliquid
a domino · Vir duplex animo inconstans est in omnibus
viis suis · Glorietur autem frater humilis in humilitate
sua · Dives autem in exaltacione sua · quoniam sicut flos feni
transibit · Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fenum
et flos eius decidit · et decor vultus eius deperiit · ita et